

intendit ipsi domino Friderico facere ac impendere, quod de iure et consuetudine per eum fuerit faciendum. Et quod nulli recognoscit ius coronationis huiusmodi nisi sibi ipsi ex causis superius enarratis, et quod nulli subest preterquam sedi apostolice in hac parte, et ideo domino . . Treverensi archiepiscopo nec cuiquam alteri suo conprincipi tenetur in mandatis superius expressis obedire; immo requirit, ne falcem suam in messem alienam mittendo se ingerant huiusmodi coronationi ad eos non spectanti, addens quod, si secus facerent, intendit loco et tempore pro iure suo et ecclesie sue in hoc casu salvando talem iniuriam contra eos persequi coram iudice competenti. Et nedum talis presumptio si fieret pro infecto teneri debet, immo tamquam execrabilis temeritas debet merito condemnari, nec taliter coronato tamquam ab eo, qui auctoritatem non habet, ex hoc quicquid iuris acquiri debet in hoc casu. Et ut ea omnia ad noticiam ipsius domini Ludowici necnon aliorum omnium, qui sua super premissis dixerint aut crediderint interesse, facilius deducantur, contenta in quadam cedula sibi voluit per me Iohannem Gerlaci notarium subscriptum, si commode posset, presentari et coram eis ubi et quando opus fuerit publicari. Cuius cedule tenor sequitur in hec verba:

‘Henricus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie archiepiscopus sacri Romani imperii per Ytaliam archicancellarius . . abbati Sancti Cornelii Yndensis sue diocesis salutem in Domino. Comparuit coram nobis illustris princeps Fridericus dux Austrie in Romanorum regem alias regno seu imperio Romano per mortem dive recordacionis domini Henrici quondam Romani imperatoris vacante electus, supplicans ut electionem de ipso canonice celebratam, ut asserit, dignaremur, prout officii nostri debitum ex antiqua et approbata ac laudabili consuetudine a tempore, cuius memoria non existit, pacifice observata requirit, acceptare, ipsum in Romanum regem ungendo et coronando. Verum cupientes sic officii nostri debitum in hac parte sibi impendere, ne alterius ius ledamus, tibi sub pena excommunicationis sententie late canonica monitione premissa mandamus, quatenus illustrem principem Ludowicum ducem Bawarie, qui in hoc casu eiusdem domini Friderici dicitur coelectus, aliosque quoscumque si qui fuerint, qui se ipsi Friderico et electioni de ipso celebrate opponere voluerint et sua crediderint interesse, cites peremptorie, si personaliter ipsum et alios predictos adire secure poteris, alias si propter potentiam aut maliciam eius seu fautorum